

in iis ipſis rima, per quam tuſus abufus ſibi int. oium pa-
ret, relinquatur & probatur.

Unde & Beneficiorum pluralitatem etiam poſt hanc Jo-
annis XXXII. Conſtitutionem ſub pallio diſpenſationis Apo-
ſtolica non parum frequentem fuisse, poſteriorum Syno-
dorum Decreta ſat demonſtrant; atque inter alia Synodi
Colonienſis anno 1536. parte 1. cap. 32. quo ſuum contra
pluralitatem Beneficiorum zelum oſtendens, eam admittere
cogitur quæ diſpenſatione Sedis Apoſtolica nitetur; mo-
nens, ut qui adverſus Decreta eam pluralitatem proſcriben-
tia tueri ſe volent diſpenſatione Sedis Apoſtolica, viderint,
ut cauſam diſpenſationis obtineant a Deo comprobent.

XVII. Denique ad palliandam Beneficiorum pluralita-
tem tandem poſterioribus ſeculis plurimum iuvit *commen-
dationum & unionum* uſus, qui priſtinis Eccleſiæ temporibus
rite inſtitutus, in maximum tandem degeneravit abuſum,
& colorem multiplicandis in eandem perſonis Beneficiis
ſubmiſtravit.

Olim vacante aliqua Eccleſiâ, cui ob bellorum tempeſta-
tem aliâve de cauſa non ſtatim de paſtore provideri poterat,
is cui providendi cura commiſſa erat, alicui etiam inter-
dum vicino Paſtori curam ejus *commendabat*; modo non
abſimili, quo hodie *deſervitur* committeretur. Sicuti ergo
deſervitur hodierna, ita & *commendata* non niſi ad uti-
litatem Eccleſiæ vacantis, idque neceſſitate cogente & du-
rante vocatione committeretur; atque de ſimili *commen-
da* intelligendum eſt, quod dicitur in *Can. 3. canſ. 21. q. 1.*
“ Qui plures Eccleſias retinet, unam quidem *titulatam*, al-
teram vero ſub *commendatione* retinere debet.

XXIII. Progreſſu temporis *Commendatarii*, varios ſi-
ve neceſſitatis, ſive honeſtatis titulos obtendentes fructus
ipſarum Eccleſiarum occuparunt; atque ut diutius iis frue-
rentur, quominus iis provideretur de proprio Paſtore, va-
ria impedimenta obſectare ſolebant.

Hinc fraudi ut occurreretur, præſcriptum legitur in
*Cap. 15. De Elect. in VI. ne commenda duraret ultra ſex
menſes.*

At *Commendatarii*, qui fructus Eccleſiarum ambiabant,
ſuper hoc Decreto diſpenſationem à Sede Apoſtolica variis
artibus extorquebant; quâ mediante non tantum ad vitam,
ſed etiam cum pleno jure percipiendi proventus Eccleſia-
rum, detractis dumtaxat impenſis neceſſariis pro vicario,
commendas plurium Eccleſiarum retinebant.

XIX. Inſuper in pluralitatis juſtificationem abuteban-
tur regulâ probatâ ab Innocentio III. in *Cap. 54. De
Elect.* quod nullus poſſit plures Parochiales Eccleſias ob-
tinere, niſi unam *intitulatam*, alteram *commendatam*
haberet; quæ de vera commenda ad tempus, non vero de
ſicilita hac intelligenda erat.

Dum enim ita ad vitam in *commendam* plura Beneficia
retinentur, verba quidem Canonum ſervari videntur; at
mens & verus ſenſus Canonum negligitur; quandoquidem
evidens ſi, ejuſmodi *Commendatarios* non niſi *voce* di-
ſtingui ab iis, qui *titulo* Beneficii poſſiderent; eaque in com-
moda oriebantur, ſive per modum hujusmodi *commenda*,
ſive per modum *tituli* plura Beneficia ab eadem perſona
poſſiderentur.

XX. Unde Synodus Londinenſis anno 1237. *Can. 10.*
decernit, ut Vicaria Parochialis Beneficii nulli concedatur,
niſi *jure residentiam ſibi facere, ac eam faciat continûe
corporalem*. Rationem ſubjungit: “ Sic eluditur illi dolo,
quo ſæpe aſſignato alicui nomine perſonatus modico, ſi-
mulatè dabatur illi Eccleſia ſub ficto nomine Vicariæ,
qui timens alia Beneficia perdere, metuebat eam recipere
ut perſona.

Hic nomine Vicariæ ſignificari *commendam*, & nomine
perſonæ, ipſum Beneficiatum *intitulatum* dubitari nequit.

XXI. Multò expreſſius hunc abuſum proponit & con-
demnat Concilium apud Salmutum anno 1235. ab Archie-
piſcopo Turonenſi ejuſque Suffraganeis celebratum *Can.
28.* “ Item nonnulli Epifcopi, & alii Prælati, propriis lu-

cris & commodis ſuorum inhiantes, Eccleſias Parochia-
les, quæ proprios poſtunt habere Sacerdotes, Clericos &
alii perſonis Eccleſiaſticis, habentibus alias Eccleſias Pa-
rochiales, vel competenter beneficiatis, ut poſſint eos plu-
ribus onerare Beneficiis, commendant unam, vel duas Ec-
cleſias Parochiales, in animarum ſuarum periculum &
ſcandalum plurimorum: ut ſic habeant *commendatas*,
quas ſecundum Canones habere non poſſunt *intitulatas*;
quod fieri de cætero prohibemus; ſtatuentes, ut qui tali-
ter Eccleſias commendatas recepit, vel de cætero recep-
erit, careat Eccleſiâ ſic commendatâ; & conferens pote-
ſtate conferendi illam Eccleſiam illa vice ſit privatus.

XXII. Graphicè quoque eum deſcribit Synodus Londi-
nenſis anno 1268. *Can. 31.* atque in eum vehementiſſimè
invehitur; & inter alia rectè notat, originem *commenda-
tionis* bonam, regulamque antè traditam ex *Cap. 54. De
Elect.* eſſe Canoniam, ſed ad palliandam avaritiam eâ
multos abuti, & in alienum ſenſum detorquere: “ Quidam
ait rationis expertes, vel Juris regulas contententes,
dum ad plurium Eccleſiarum occupationem, velamen
aliud non habentes quomodo ditari feſtinant, vacantes
Eccleſias ſibi commendari procurant, amplectentes juris
verba, non ſenſum, quod aliquando permittit unam ha-
beri Eccleſiam *intitulatam*, & aliam *commendatam*. Et
cum juxta ſanum intellectum, propter neceſſitatem vel
utilitatem vacantis Eccleſiæ, jus commendationis, non
tam præceptivè quàm permiſſivè fuerit introductum;
ipſi ad cupiditatis ſuæ lucrum omnia convertentes, in ip-
ſarum Eccleſiarum diſſipationem, non ſolum unam, ſed
plures recipiunt *commendatas*.

XVIII. Innocentius III. in citato *Cap. 54. De Elect.*
dicens, quod nullus poſſit plures Eccleſias Parochiales ob-
tinere, addit, niſi una penderet ab altera; id eſt, una alteri
eſſet unita.

Hæc quoque regula ex vero Canonum ſenſu accepta ni-
hil irregulare habet. Quidni enim duæ Eccleſiæ vicinæ, quæ
ob deſtaſationem, aut alia occasione Presbyteros alere ne-
queunt, neque duos ob incolarum paucitatem requirunt,
uniti poſſint? atque ita unitæ per modum unius uni con-
ferri: de quo caſu loquitur *Can. 2. Diſt. 70.*

XXIV. Verùm progreſſu temporis hæc regula in aper-
tiſſimum abuſum, & abominandum prætextum pluralita-
tis Beneficiorum degeneravit.

Cæperunt enim dicis cauſâ, neglectâ neceſſitate aut uti-
litate Eccleſiarum, plures Eccleſiæ etiam à ſe invicem remo-
tiſſimæ & admodum opulentæ uniti in favorem alicujus
perſonæ; idque vitâ ejus duranti; quâ unione factâ, unum
ſpecie tenus Beneficium conferbatur, ſed quod reipſa plu-
ra ſecum trahebat nec non niſi voce tenus e pluralitate Be-
neficiorum diſſerebat.

Unde Prælati præformandis articulis reformationis fa-
cienda in Concilio Tridentino à Paulo III. deputati dicere
non dubitarunt: “ Quid de unionibus Beneficiorum ad vi-
tam unius, ne ſcilicet obſtet illa Beneficiorum pluralitas
ad obtinenda incompatibilia, nomine eſt *mera fraus le-
gis*?

Tot palliis & involucriſus teſta Beneficiorum pluralitas,
mirum quantum inſtante Concilio Tridentino invaluiſſet; I
ut propterea non exigua Patribus Tridentinis cura fuerit,
abuſum illum extirpandi, variaque Decreta condendi, uti
capite ſequenti oſtenditur.

CAPUT III.

Quid contra pluralitatem Beneficiorum
actum & ſtatutum in Concilio Tridentino.

1. Circa tempus Concilii Trid. ſummopere invaluerat
Beneficiorum etiam Curatorum pluralitas; & ex
hac Paſtorum non residentia.

2. Abu-

2. Abusuſum ſcârurigo eſt Paſtorum abſentia.
3. De reſtituenda Paſtorum residentia ante omnia ſol-
licitiſſimè fuere Patres Tridentini.
4. Ut hac haberetur judicarent Beneficiorum plurali-
tatem funditus eſſe tollendam.
5. Poſtulatio Epifcoporum Hiſpaniâ contra Beneficio-
rum pluralitatem.
6. Poſtulata hæc primum nonnihil temperanda credi-
di Synodus.
7. Reſeruntur Decreta Synodi Seſſione ſeptima edita.
8. Quorum Beneficiorum pluralitas hiſce decretis im-
probata.
9. Non ſatis conſtat, an per hæc Decreta etiam Bene-
ficiorum ſimplicium non curatorum pluralitas eſ-
ſet improbatâ.
10. Decretum Synodi magis extenſam & habitationem
eximens.
11. Beneficia requirentia residentiam vi huius Decreti
ſunt incompatibilia, ſive residentia requiratur
ratione curæ animarum, ſive ratione ſervitii.
12. An Rectoratus cum Parochialis ſit incompatibilis ex
primo capite.
13. Quæ ſunt incompatibilia ob residentiam ratione ſer-
vitii.
14. Incompatibilitas exſurgit ex residentia præſentia, non
cauſativa: & utriuſque deſinitio.
15. Exemplum Beneficiorum requirentium residentiam,
ſed tantum cauſativam.
16. Synodus Trid. agnovit aliqua Beneficia non requi-
rere residentiam; & eatenus à jure communi re-
ceſſit.
17. Habenti Beneficium ad vitam honeſtè ſuſtentandam
non ſufficiens poteſt alterum conferri, modo utrum-
que residentiam non requirat.
18. Quod ſi ſufficiens reputandum cujuſque conſcientia
relinquitur; & hic frequens exceſſus.
19. Hodie conſuetudine induitum, ut ſine diſpenſatione
retineatur ſimplex Beneficium cum alio etiam ſuſ-
ficienſe; & inde hæc conſuetudo orta ſit.
20. Synodus Trid. videtur unum permittere unicum
Beneficium ſimplex primo adjungi.
21. Synodus Trid. in veranda pluralitate Beneficiorum
præcipue attendit impoſſibilitatem ſatisfaciendi
utriuſque oneribus.
22. Ex Decreto Synodi Trid. non videntur incompati-
bilia Beneficia diſformia in eadem Eccleſia.
23. Conſonat generalis Eccleſiarum conſuetudo.
24. An cum Dignitate cui annexus eſt Canonatus poſſit
haberi alia dignitas, aut Canonatus in eadem
Eccleſia?



Ircæ tempus Concilii Tridentini adeo Bene-
ficiorum pluralitas, non tantum Bene-
ficiorum ſimplicium, ſed & Curatorum,
imò & Epifcopatum invaluerat, ut om-
nes paſſim Parochiæ & Diœceſes ſuis
deſtituerent Paſtoribus; ac ubique pene non niſi merce-
narij aliqui Sacerdotes gregibus intenderent.

II. Cum autem comperit eſſet, abuſibus qui Eccleſi-
am eo tempore quodammodo inundaverunt, remedium
efficax nequaquam aſſerri, quamdiu abſentibus Paſtoribus
dabatur lupis in greges graſſandi libertas, Patribus viſum
fuit, mox de hoc abuſu non residentia tractare; ipſosque
Paſtores ad residentiam adigere. Sed cum Paſtorum resi-
dentia ſperari non poſſet, quamquam pluralitas Beneficio-
rum, præſertim Curatorum permitteretur, mox in ipſo Sy-
nodi initio contra hunc pluralitatis abuſum à Patribus agi
ceptum fuit.

III. Unde in Congregatione celebrata immediate poſt
habitam Seſſionem ſecundam, nimirum 9. Januarii 1546.
Guilielmus De Prato Epifcopus Claromontenſis ſententi-
Van Eſpen Jur. Eccl. P. II.

am ſuam de residentia Epifcoporum proferens, urgebat
Patres, ne in materia de residentia aliquid frigide & ſuper-
ſicialiter ſtatuere, ſiquidem (ait) per tantam non resi-
dendi licentiam orbis graviffimum malum indies latius
ſerpit. Quis enim ignorat, hac captata occasione magna
ex parte hæreſes elletatas, & auctas mirum in modum,
indiesque magis ac magis augeti? Nec videntur facturæ
ſinem, donec hanc occasionem quaerentibus, occasionem
amputaverimus.

IV. Inter media verò hanc occasionem amputandi tam-
quam præcipuum ſuggerit: “ Primum Beneficiorum, & ma-
ximè Epifcopatum pluralitas ab omnibus tollatur fun-
ditus. Quod ita neceſſarium cenſeo (inquiebat) ut optem
memoriam illius pluralitas oblivione ſempiternâ deleri;
tamquam avaritiæ clericalis (ob quam tam male audit
ordo Sacerdotum) primogenitam & omnium malorum
ſernam. Habetur tom. 14. Concil. General. col. 1633;
& ſequentibus.

V. Plures in ipſo Concilio in eundem abuſum exarſe-
runt & quidem cum prævie ante Seſſionem de hac materia
agi ceptum eſſet Epifcopi Hiſpani aliis nonnullis adjunctis
petierunt “ declarandum, pluralitatem Cathedralium Ec-
cleſiarum eſſe maximum abuſum, monendosque ſingu-
los, ac nominatim Cardinales, ut unâ ſolâ ſint contenti,
atque alias intra breve tempus relinquunt, certè ante exi-
tum Concilii. Tollendam quoque minorum Eccleſiarum
pluralitatem, eâ non in poſterum modo ſed in præteritum
etiam prohibita, revocantque omnibus diſpenſationibus
antea conceſſis, Cardinalibus aliſve minime exceptis niſi
juſtas ac legitimas aſſerant cauſas, quæ coram Ordinario
eurent approbandas.

VI. Hæc Præſulum illorum poſtulatio rigidior appare-
bat multis, quàm præſens rerum ſtatus pateretur, unde
nonnihil temperandam crederentur; atque primum majo-
ribus & magis noxiis abuſibus occurrendum; ac ſenſum,
temporum durtie nonnihil emollitâ ulterius progredi poſ-
ſei hocque concilium Synodo placuiſſe patebit, ſi Decreta
edita Seſſione ſeptima conferantur cum Decreto in eadem
materia Seſſione 24. evulgato.

VII. Primum itaque *Seſſ. 7. cap. 2. De Reformat.* decer-
nit ut “ nemo, quæcumque etiam dignitate, gradu, aut præ-
minentiâ præfulgens, plures Metropolitanas ſeu Catho-
drales Eccleſias in titulum, ſive commendam aut alio
quovis nomine, contra ſactorum Canonum inſtituta, re-
cipere, & ſimul retinere præſumat; cum valde felix ſit ille
cenſendus, cui unam Eccleſiam bene ac fructuoſe, & cum
animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contige-
rit.

Deinde *cap. 4.* “ quicumque de cætero plura curata, aut
alias incompatibilia Beneficia Eccleſiaſtica, ſive per viam
unionis ad vitam, ſeu commendæ perpetuæ, aut alio quo-
cumque nomine, & titulo; contra formam ſactorum Ca-
nonum, & præſertim conſtitutionis Innocentii III. quæ
incipit, *De multa*, recipere, ac ſimul retinere præſump-
ſerit; beneficiis ipſis juxta ipſius conſtitutionis diſpoſitio-
nem ipſo jure, etiam præſentis Canonis vigore, privatus
exiſtat.

VIII. Hic in primis improbat Synodus pluralitatem non
tantum Cathedralium Eccleſiarum, ſive Epifcopatum, ſed
etiam Curatorum, aut alias incompatibilium beneficiorum
reprobatis illis fictitiis titulis, & involucriſus, *unionis ad vi-
tam & commendæ perpetuæ*.

Quia autem Synodus non explicat, quæ beneficia habe-
at tamquam *incompatibilia*, unaque remittit ad Conſtitu-
tionem Innocentii III. in *Cap. DE MULTA De Pra-
bendis*, dubium erat, num Synodus terminos dictæ Con-
ſtitutionis excedere voluiſſet; aut reprobare pluralitatem
beneficiorum, in dictâ Conſtitutione nominatim non re-
probata.

IX. Hinc ulterius dubium erat, an hæc tenus indamnata
eſſet pluralitas beneficiorum, quæ nec dignitates, nec Per-
ſonatus,

ſonatus, nec Parochiales Eccleſiæ eſſent: ut pote ſola quæ in ea Conſtitutione Innocentii III. exprimitur.

X. Poſtmodum verò Synodus volens efficaciſſimum remedium huic abuſui adferre, eumque quaſi radicis evellere *ſeſſ. 24. cap. 17. De Reformat.* Decretum edidit "quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiam Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari, ut in poſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quod quidem, ſi ad vitam ejus, cui conferatur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia, tam ſecularia quam regularia, quæcumque etiam commendata, pertineant, cujuſcumque tituli ac qualitatis exiſtant.

XI. Itaque ex Decretis Concilii Tridentini concludendum, Beneficia eſſe incompatibilia ſi reſidentiam perſonalem requirant; idque ſive reſidentia ratione curæ animarum, ſive ratione ſervitii requiratur; uti notat Fagnanus ad *Cap. CUM JAM DUDUM De Præbendis num. 17039.*

Ex primo capite incompatibiles ſunt duæ Parochiales, item Parochialis cum Baptiſimali: & ſimiliter Beneficium cui injunctum eſt onus adjuvandi in cura animarum.

XII. Item is qui habet Rectoratum, ſeu curam exerceat per Vicarium *amovibilem* non poteſt obtinere Parochialem; quia amovibilitas indicat curam reſidere apud Rectorem. Si tamen aliunde probaretur, curam nullam eſſe penes Rectorem, tunc hoc ex capite, nec reſidentia nec neceſſitas, nec exinde reſultans incompatibilitas concludi poſſet.

Hinc conſulta S. Congregatio, an caſu quo cura unita ſit alicui Eccleſiæ ex altera dependenti, ita ut ei per Vicarium *perpetuum* deſerviat juxta *Cap. EXTIRPANDÆ §. QUI VERO De Præb.* reſultet ratione *cura animarum* incompatibilitas talis Eccleſiæ cum alia Parochiali; reſpondit negativè; apud Fagnanum loco citato *num. 41.* Nec aliud indubiè reſolutionis fundamentum fuit, quam quod curæ animarum in Vicarium *perpetuum* tranſlatâ, Rector Eccleſiæ, cui Eccleſia Parochialis eſt unita, nomine tenus dumtaxat Paſtor aut Curatus dicatur.

XIII. Ob reſidentiam ratione *ſervitii*: ex Decreto Concilii Tridentini exſurgit incompatibilitas non ſolum in Parochialibus & Curatis, ſed etiam in Beneficio Curato, & Canoniatu, & in pluribus Canoniatibus, tam Cathedralium, quam Collegiarum Eccleſiarum, cum perſonalem reſidentiam requirant, propter ſervitium, ut in *ſeſſ. 12. ſeſſ. 24.* licet de jure communi hoc eſſet controverſum ut patet ex opinionibus ſuprà relatis. Item ex Congregatione incompatibilis eſt præbenda Theologalis erecta per unionem aliquot ſimplicium beneficiorum cum Parochiali, vel Canoniatu, Idemque dicendum de pluribus Monaſteriis, ſeu Capellaniſſimo ſervitio perſonale, ſeu reſidentiam requirantibus propter divini Officii celebrationem. Ita Fagnanus.

XIV. Hæc tamen dicta de incompatibilitate Beneficiorum ſimplicium reſidentiam requirentium intelliguntur communiter, quando requiritur reſidentia *præciſa & ſimplex*, non autem de caſu quo reſidentia non eſt præciſa & ſimplex obligatoria, ſed *cauſativa*; ita poſt alios Canonistas Gonzales ad *Regulam 8. Cancel. Gloſa 15. num. 20.* vocatque reſidentiam *præciſam & ſimplicem*, quando requiritur ſub pena *privationis tituli*. Non ſimpliciter autem, ſed *cauſativè* requiri dicit, quando ſolum requiritur reſpectu privationis fructuum; nimirum ut non reſidendo privetur quidem fructibus, ſed nequaquam privetur titulo.

Deinde *num. 23.* teſtatur, ſæpius judicatum fuiſſe, quoad incompatibilitatem Beneficiorum ſimplicium, inſpiciendam eſſe reſidentiam *præciſam*, & non ſufficere cauſati-

vam, quod & praxis communis declarat.

XV. Exemplum occurrit in Capellaniſſimo Eccleſiæ Collegiatae S. Petri hic Lovanii, quæ reſidentiam ratione ſervitii in choro requirit; ſed tantum *cauſativam*, id eſt, *privationis fructuum*, non autem *tituli*: quare & Theologi plures hujusmodi Capellaniſſimos obtinentes, & earum titulo ad Ordines promoti, poſtmodum ad Eccleſias Parochiales aſſumpti, eas unâ cum Parochiali, tamquam ſimplex beneficium reſidentiam non requirens retinent; licet nullos non reſidentes fructus percipiant.

XVI. Beneficia omnia etiam ſimplicia de jure communi requirere perſonalem reſidentiam ſuprà notatum fuit: unaque obſervatum, poſterioribus ſæculis ſenſim quædam ſimplicia beneficia à reſidentia fuiſſe abſoluta; atque ita tandem invaluſſe diſtinctionem inter beneficia reſidentiam requirentia, & non requirentia.

Hanc diſtinctionem quamvis nonnulli de Patribus Concilii Tridentini, tamquam antiquis Eccleſiæ Decretis incognitam, abolitam vellem, tamen eam penitus abolere Concilium conveniens, pro temporum conditione, non judicavit; ſed eam aperte in ſuo Decreto ſuppoſuit; atque in declaranda beneficiorum incompatibilitate, & pluralitatis proſcriptione uſa eſt; atque eatenus, ob ſtabilitatem per conſuetudinem diſciplinam, à jure communi non nihil recelſit.

XVII. Itaque quoad beneficia perſonalem reſidentiam non requirentia diſtinguit Concilium; utrum ad vitam ejus cui conferuntur honeſtè ſuſtentandam ſufficiant, an non.

Si beneficium quod quis obtinet ſit ſufficiens, non poterit obtinere ſecundum, quantumvis ſimplex & reſidentia non obnoxium, & ad vitam ejus cui conferatur non ſufficiens. Quia Concilium permittit, ut poſſit alterum beneficium conferri ei qui jam unum obtinet hac conditione, ſi primum quod obtinet, *ad vitam ejus honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat*.

Quando autem quis habet beneficium Eccleſiaſticum non ſufficiens, permittit Concilium, ut liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.

XVIII. Quæ eſſe debeat proventuum quantitas, ut beneficium aliquod dicatur *ſufficiens*, Concilium non determinavit. Cum enim hæc ſufficiencia ex multis factis determinanda ſit, judicatum eſt, ut determinatio hæc cujuſque potius conſcientiæ judicio, quam forenſi diſceptatione decidenda remitteretur.

Dolendum porro nihil eſſe frequentius, & jam pridem fuiſſe, quam ut hic cæca & indomita impingat cupiditas; quando quiſque pro ſuo, non pro Epilcopi arbitrio hoc ſinitur definire. (uti ad Clerum ſuum ſcribebat jam pridem Ruremundenſium Antilteſ Henricus Cuykius) Suſtentionem ſui, quam in Clericis omnibus ipſiſque etiam Epilcopis ex Tridentini Concilii ſententia, oportet eſſe frugalem, hospitalitatis & beneficentiæ velamine, illi volunt eſſe magnificam; vitæ hujus impendia non pro neceſſitate, aut eo quod naturæ ſatis eſſe queat (quæ parvo eſt contenta) ſed pro affectu privato & habendi libidine meventes; & ex cujuſque beneficii acceſſione proventu aucto, aliquid etiam ad familiarum ſplendorem, ad veſtium luxum, ad prædiorum aliarumque ſive fixarum ſive mobilium rerum proventum accedere volunt, & ut in plures beneficii eſſe poſſint, aut ad ſui nominis memoriam celebrandam, opulentas erigere fundationes, domum domo & agro agrum de beneficiorum proventibus ſemper conjungunt; & hoc factis eſſe arbitrantur ad palliandam aut excuſandam inexplebilem avaritiam ſuam, ſi hunc ſibi ſcopum propoſitum habeant.

XIX. Interim ex libera taxatione ſufficiencia reſecta judicio cujuſque privati, tandem conſuetudo invaluit, ut ſuper retentione ſimplicis beneficii reſidentiam non requirentis

reſentis nulli moveatur quaerſtio; tamenſi beneficium aliud ſeu ſimplex ſeu non ſimplex opulentum, & evidenter ſufficiens habeat; atque ita videatur conſuetudine eatenus derogatum Concilio Tridentino, in quantum prohibuit, unum *ſufficiens* habenti alterum etiam ſimplex reſidentiam non requirens conferri.

Unde ſi ſolum jus poſitivum attendamus, id hodie conſuetudine ſublato videatur: & per conſequens, concurrentibus hæc inordinationes pluralitati beneficiorum connexas planè abſtergunt; ipſaque Eccleſiæ utilitas exigit, ut quis ſimilia duo beneficia ſimul retineat, non appareat neceſſaria diſpenſatio, quæ juri poſitivo derogetur; ut pote jam per contrariam conſuetudinem ſublato.

XX. Ulteriùs Concilium Tridentinum permittens, ut habenti beneficium quod ad vitam ipſius honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, aliud ſimplex ſufficiens conferatur, de unico ſimplici adjungendo loqui videtur; quemadmodum Concilium Mediolanenſe V. ſub S. Carolo intellexiſſe non obſcurum eſt.

Cum enim in Concilio IV. Mediolanenſi declaratum eſſet, licere habenti unum beneficium non ſufficiens conferri alterum ſimplex conformiter ad Synodum Tridentinam, in Concilio V. declarat: "Id ita locum habeat, ut ne tamen eo prætextu cauſa ve vitæ honeſtè ſuſtentandæ plura quam duo beneficia ſimplicia uni eidemque conferri liceat ſine conſeſſu permiſſive Sedis Apoſtolice." *Parte 3. tit. Quæ ad beneficiorum collationem attinent.*

XXI. Dum Synodus Tridentina declaravit incompatibilia plura beneficia cujuſcumque conditionis aut qualitatis quorum utrumque reſidentiam requirit, præcipuè reſpectu videtur, ad impoſſibilitatem ſatisfaciendi oneribus beneficii hujusmodi incumbentibus: quæ impoſſibilitas reſultat ex requiſita perſonali reſidentia.

XXII. Cum igitur illa impoſſibilitas ſatisfaciendi oneribus utriuſque beneficii ſæpe ceſſet, ſi beneficia ſint in eadem Eccleſiâ habeantque officia diverſi ordinis & generis annexa, quæ *Difformia* dicuntur, etiam tunc incompatibilitas illa ceſſare videtur ex mente ipſius Synodi: declaravitque conformiter S. Congregatio "conſuetudini permittendi, quod in eadem Eccleſiâ dignitates cum Canoniatibus tenentur, non eſſe derogatum à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 17. De Reformat.* Ita Garciaſ De Benef. *parte 2. cap. 2. num. 246.*

XXIII. E. quidem generalis hodie conſuetudo permittit beneficium curatum, aut etiam dignitatem cum Canoniatu in eadem Eccleſiâ retinere; imò in aliquibus Eccleſiis Dignitates conferri, ſiſſi Canonici non poſſunt: quemadmodum in Eccleſiis Cathedralibus Belgicis ad inſtantiam Philippi II. per Paulum IV. Pontificem erectis, Archidiaconus, Archiprebyter & Pœnitentiarius ex Canonici Graduati adſummi debent uti *parte 1. tit. 10. cap. 1.* notatum fuit.

Itaque ex generali conſuetudine ad obtinendum in eadem Eccleſiâ Canoniatum aut Capellaniam etiam requirentem reſidentiam, unâ cum beneficio Curato aut Dignitate diſpenſatio non requiritur: eo quod jus poſitivum per diſpenſationem tollendum contrariâ conſuetudine ſublato ſit.

XXIV. Quid ſi Canonici ſit ipſi dignitati annexus, ipſaque dignitas nullos habeat proventus præter præbendam; an cum hoc Canoniatu & Dignitate annexa, poſſit in eadem Eccleſiâ haberi alia Dignitas diſformis? Si Canonici ſit Dignitati annexus per ſuppreſſionem, ut ipſe titulus Canonici ſit ſuppreſſus, tunc revera non erit niſi ſimplex Dignitas; & conſequenter alius Canoniciſſimus cum hac dignitate in eadem Eccleſiâ ſine diſpenſatione haberi poſſet: non autem Dignitas: quia pluralitas Dignitatum in eadem Eccleſiâ ſpecialiter vetita eſt in *Cap. DE MULTA De Præbendis*, neque hætenus conſuetudo ei in hoc derogat ſeſſe ſcitur.

Si autem Canoniciſſimus æquè principaliter annexus ſit, &

conſequenter eum obtinens ſit revera Canoniciſſimus & ſimul in Dignitate conſtitutus, non poterit in eadem Eccleſiâ aliam Dignitatem ſine diſpenſatione retinere: nam nemo in eadem Eccleſiâ poteſt eſſe *triplex* abſque diſpenſatione Summi Pontificis; uti poſt alios docet Garciaſ loco citato *n. 238.* additque: "Nec valet conſuetudo vel ſtatutum in contrarium ex *Cap. 1. de Conſuet. in VI.*"

CAPUT IV.

De varia Beneficiorum incompatibilium ſpecie.

1. *Incompatibilitas beneficiorum præcipuè fundatur in impoſſibilitate reſidendi in diverſis Eccleſiis.*
2. *Arctior reſidendi obligatio in beneficiis curatis etiam majorem cauſat incompatibilitatem.*
3. *Diſtinctio beneficiorum incompatibilium primi & ſecundi generis, & illorum definitio.*
4. *Plura beneficia conformia ſub eodem recto incompatibilia primi generis; etiam ſi non requirant reſidentiam.*
5. *An Concilium Trid. circa hoc aliquid innovaverit.*
6. *Quæ dicuntur Beneficia uniformia.*
7. *Quæ ſint incompatibilia ſecundi generis.*
8. *An per Synodum Trid. hæc diſtinctio beneficiorum incompatibilium ſit ſublata?*
9. *Ut beneficium vacet per aſſecutionem ſecundi requiritur poſſeſſio hujus pacifica.*
10. *Idque non tantum de factò, ſed & de jure.*
11. *In Gallia non inducitur privatio primi per aſſecutionem ſecundi; ſed datur optio eligendi alterutrum.*
12. *Necneſſitas optandi tantum eſt poſt poſſeſſionem pacificam.*
13. *Ex praxi Gallia habetur annus & dies ad optandum.*
14. *Quomodo aliqui hac optandi libertate abuterentur; & quomodo ei per Edictum Regium fuerit occurſum.*
15. *Optandi libertas pluribus Parliamentorum arreſtis confirmata.*
16. *Declaratum duos Canoniciſſimos eſſe incompatibiles; nec diſmiſſum poſſe gravari poſſione.*

Incompatibilitas beneficiorum præcipuè fundatur in impoſſibilitate eodem tempore reſidendi in diverſis Eccleſiis; & ex illa impoſſibilitate, reſultante aliâ impoſſibilitate ſatisfaciendi officiis & oneribus utriusque beneficio annexis.

II. Cum autem indubitatum ſit, reſidentiam arctiorem requiri in beneficiis curatis aliſque majora officia annexa habentibus, quam in beneficiis ſimplicibus; pluraque incommoda per non reſidentiam Paſtorum plerumque ſequi quam ex non reſidentia Canonicoſum aut Capellanoſum, conſequens eſt, quod etiam major inter priora, quam poſteriora intercedat incompatibilitas; eò quod *pluralitas* ſecum trahat non reſidentiam, quæ minus in illis, quam in his toleranda eſt.

III. Hinc communiter recepta eſt diſtinctio beneficiorum incompatibilium, in beneficia incompatibilia primi & ſecundi generis.

Incompatibilia primi generis dicuntur, inter quæ tanta intercedit incompatibilitas, ut per aſſecutionem pacificam ſecundi *ipſo factò* vacet primum; quemadmodum de beneficiis curatis Dignitatibus & Perſonatus ſtatuit Concilium Lateranenſe in *Cap. DE MULTA De Præb. & expreſſiſſus Joannes XXII. in Extrav. EXECRABILIS De Præbendis*